

XXV. à v. 8. usque 17. ita habent: Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, i. e. septies septem, quæ simul facient quadraginta novem; & clanges buccinas mense septimo in ipso die festo propitiationis in universa terra, sanctificabisque annum quinquagesimum; & vocabis remissionem cunctis terræ tuæ habitatoribus. Ille enim Jubileus. Revertetur homo ad possessionem & unusquisque redibit ad familiam pristinam. Non seretis, atque metetis sponte in agro nascentia, nec primitias vindemiæ colligetis ob sanctificationem Jubilæi; sed statim ablata comedetis. Anno Jubilæi redeant omnes ad possessiones suas. Quando vendas quippiam civi tuo, aut emes ab eo, ne contristes fratrem tuum; sed juxta numerum annorum Jubilæi emes ab eo; & juxta supputationem annorum vendet tibi. Quanto plures anni remanserint post Jubileum, tanto crescet & pretium emtionis; quanto minus temporis numeraveris, tanto minoris & emptio constabit: tempus enim frugum vendet tibi. Atque cum hæc nondum sufficere videbantur, septimo quoque anno debitorum instituta remissio erat; quæ hoc modo (Levit. XXV. v. 1. seqq.) celebrata legitur: Cui debetur aliquid ab amico vel proximo ac fratre suo, repetere non poterit, quia annus remissionis est Domini. . . . A peregrino & advena exiges, à fratre vero repetendi non habebis potestatem.

§. XV. Antequam vero ea demonstramus, quæ intendimus, opus erit præmonuisse Lectorem, quod pauca, imo nulla fere commercia, quæ in nostris vigent regionibus, Judæi exercuerint. Cum enim mercatores eorum nobis nomine veniant, qui rebus, quibus abundamus, evehendis; apportandis vero, quibus indigemus, quæstum faciunt, nullos in prima statim Reip. Judaicæ infantia mercatores fuisse, exinde conjectu est. Iis enim actionibus operam potius adhibuerunt Judæi, ad quas locorum, quæ ab illis occupata fuerunt & infesta, natura pulsi videntur. Quemadmodum enim ii, quibus saltuosa loca obvenerunt, venationi studere, qui stagnorum & fluminum accolæ facti sunt, piscibus capiendis intenti esse commode solent; ita Judæos, qui fertiles agros prataque virentia invenerunt, agriculturæ deditos potius fuisse ac mercaturæ verisimile est. Accedit quod nulla unquam mercaturæ in toto Pentatevcho facta sit mentio, reliquis tamen omnibus Judaicæ gentis actionibus egregie delineatis. Atque ejusdem nobiscum sententiæ est Pufend, L. V. c. VII. de J. N. & Gent. §. 9. p. 748. Simplici, inquit, modo rem tunc faciebat iste (Judaicus sc.) populus ex pecuaria & agricultura aut operis,

ma-